

domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Huic promissioni alludit Apostolus, II Cor., iii, 3, dicens quod lex nova est scripta, non [atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Unde, relata prophetia Isaiaë, idem concludit, Hebr., viii, 13: Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est. Quid clarius desiderari potest?

Prob. 2^o ex prophetiis quæ vocationem gentium respiciunt. Ex his quæ in articulis superioribus dicta sunt, concludendum est gentem Israeliticam non fuisse a Deo in populum peculiarem electam, nisi ut Messias, ab ea oriturus, certo agnosceretur cum adveniret, et ut via sterneretur Ecclesiæ ab eo instituendæ, quæ vere catholica seu universalis esse debebat. Oportebat ergo vocationem gentium in veteribus Scripturis clare prænuntiari, et quidem ita fuit prænuntiata. Jam enim hæc vocatio exprimitur in textu Isaiaë modo citato, ubi dicitur fœdus novum ineundum esse a Deo cum domo Israel. Porro hæc domus Israel eadem est ac semen Abrahæ, quod quidem carnaliter ex populo Judaico coalescit, sed spiritualiter omnes qui fidem sancti patriarchæ imitati sunt complectitur. De Abrahamo enim dictum est, Gen., xviii, 18: Benedicendæ sunt in illo omnes nationes, semelque et iterum ipsi dixit Dominus, ibid, xxii, 18 et xxvi, 4: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Ita intelligendam esse hanc promissionem, patet ex Apostolo id testante, Rom., iv, 13 et 16: Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi; sed per justitiam fidei... Ideo eo fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini; non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, id est, non Judæo-

rum tantum, sed eorum qui ex gentibus crederent a Christo se fuisse redemptos. Christo, qui erat expectatio gentium, anticipata hoc testimonium redditur, Psal. ii, 7 et 8: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postuli a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. De eodem dicitur, Psal. lxxi, 11: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Clamat Isaïas eum annuntians, xlix, 6: Ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. Apud Osee legitur, ii, 24: Et dicam non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicit: Deus meus es tu. Concipiunt alii prophetæ, Jerem., iii, 17; Soph., ii, 11; Zach., ix, 9 et 10. Ergo omnes gentes in unum populum, Christo duce, spiritualiter congregabuntur. Ergo novo populo nova lex dabitur, qua, promissione adimpleta, figuræ omnes evacuabuntur. Ergo lex mosaica, in qua omnia in figura contingebant, necessario erat abroganda.

Prob. 3^o ex prophetiis quæ prænuntiant novum sacerdotium, novum sacrificium, arcæ oblivionem, templi eversionem sempiternam; ex quibus sequitur abrogatio legis ritualis seu cæremonialis, quæ præcipuum locum in constitutione mosaica tenebat.

1^o Novum sacerdotium. Psal. cix, 4: Juravit Dominus, et non penitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ita statuit Dominus Messiam in æternum sacerdotem fore, jam non secundum ordinem Aaronicum, sed secundum ordinem Melchisedech regis Salem, qui quamvis gentilis esset, proferebat panem et vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi, Gen., xiv, 18; de quo dicit Apostolus, Hebr., vii, 1 et 3, quod, cum esset sacerdos Dei summi... assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Quibus verbis significatur sacerdotium christianum, cujus præcipuum munus est mysticæ renovare et perpetuare, sub speciebus panis et vini, sacrificium cruentum quo Christus seipsum in ara crucis obtulit et immolavit. Non tantum extra familiam Aaronicam, sed etiam extra populum Israeliticum eligentur sacerdotes novæ legis, Isaiâ dicente, lxxvi, 19-21: Mittam eorum eis qui

salvati fuerint, ... et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, ... et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus. Porro sacerdotium Aaronicum cunctis institutionibus apud Judæos præstabat, quo cadente, totam legem cum eo cadere necesse erat, ut Paulus docet, de futuro sacerdotio loquens, *Hebr.*, vii, 11 et 12: *Si ergo consummatio, id est adimpletio secreti divini de generis humani salute, per sacerdotium leviticum erat, populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.*

2^o Novum sacrificium. Vigente lege mosaica, solis sacerdotibus ex Aaronica stirpe ortis sacrificia offerre licebat, et in uno loco, nempe in templo Hierosolymitano, et hæc sacrificia multiplicis generis erant, ut unumquodque eorum sub aliquo respectu figuraret speciatim perfectionem aliquam futuri et unici sacrificii instituendi. Porro hæc omnia abolenda erant, cum Messias unum sacrificium perfectum veteribus substitueret, quod insigni Malachiæ prophetia annuntiat, i, 10: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hanc autem veterum sacrificiorum abolitionem jam antea prædixerat Daniel, ix, 26 et 27: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo... Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. Hæc luce sunt clariora.*

3^o Arcæ oblitio. Jubente Domino, arca fuerat a Beseleel fabricata de lignis setim, *Exod.*, xxv, 10; xxxvii, 1. Pluries vocatur arca testimonii, *ibid.*, xxv, 22 et alibi. Erat arca

testamenti, *ibid.*, xxx, 26; arca fœderis, *Num.*, x, 33; *Josue*, iii, 3 et alibi. Dixerat Deus Moysi, *Exod.*, xxv, 16: *Pones in arca testificationem quam dabo tibi. Quæ autem erat hæc testificatio, apparet ex hoc loco, Deuter.*, x, 1 et 2: *Dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem. Faciesque arcam ligneam, et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca.* Moyses itaque deposuit in arca tabulas in quibus scripta fuerant decem mandata Dei, quæ erant testimonium fœderis inter Dominum et populum suum initi. Igitur fœdus ipsum huic signo connexum erat. Porro, hoc signum in oblivionem cessurum erat tempore quo fœdus finem habiturum erat, ut ex his videtur, *Jerem.*, iii, 15 et 16: *Dabo vobis pastores juxta cor meum... Non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Tunc erit quod dicitur *ibid.*, vii, 15: *Et projiciam vos a facie mea, sicut projecit omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* Ergo, arca fœderis pereunte, fœdus ipsum, id est tota lex et religio mosaica erat abroganda.

4^o Templi eversio sempiterna. Templum quod, jubente Domino, Salomon ædificavit, et in quo arca fœderis fuit reposita, tabernaculo portatili fuerat suffectum, eratque domus Dei et locus ubi offerebantur sacrificia legalia. Domino erat acceptum, sicut ipse testificatus est, dicens, *III Reg.*, ix, 3: *Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus, id est, quamdiu durabit cultus figurativus, et quoadusque veniat, ut Christus dixit, Joann.*, iv, 23, *hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Atqui hujus templi destructio clare fuit prædicta, *Jerem.*, vii, 14 et 15: *Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo. Et projiciam vos a facie mea.* Porro, per longum tempus tabernaculum Domini in Silo permanserat, in quo arca fœderis fuerat recondita et sacrificia offe-

rebantur, et hunc locum deseruerat Dominus, ut refertur *Psal. LXXVII, 60*: *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.* Ergo pariter respiciendum erat templum Hierosolymitanum. Et non tantum erat respiciendum, sed evertendum, ut jam inutile factum, cum cultus novus instauraretur, sicut ex *Daniele* apparet, ubi dicitur, *ix, 26.* quod, Christo occiso, *et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

Objici possunt plura loca Scripturæ, ubi lex dicitur *legitimum sempiternum, Levit., xvi, 29*; *mansura in sempiternum, Deuter., xxix, 29*; *nulla delenda oblivione, ibid., xxxi, 21*; *in æternum fundata, Psal. cxviii, 132.*

Resp. 1° Si voces *in sempiternum in æternum*, stricte sumerentur, sequeretur legem mosaicam vere æternam fore, et cum hoc non nisi absurde dici possit, dicendum est eam duraturam fuisse ad longum tempus, et non abrogari debuisse antequam veniret ille qui mittendus erat ad redimendum genus humanum. 2° Hæc interpretatio vera demonstratur textu Jeremiæ supra citato in prima probatione, ex quo sequitur legem veterem observandam fuisse quamdiu populus Israeliticus ipse subsisteret, id est usque ad divinæ promissionis impletionem. 3° Christus ipse declaravit quo sensu intelligenda sit hujus legis perennitas, cum dixit, *Matth., v, 17*: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Lex vetus fuit abrogata in quantum erat figurativa; fuit confirmata in quantum adimpleta; est æterna, in quantum Ecclesia mosaica viam stravit Ecclesiæ christianæ, in qua præparatur Ecclesia cœlestis in æternum permanens. In hoc triplici statu diversimode apparet Christus, qui fuit *heri, est hodie, ipse et in sæcula, Hebr., xiii, 8.*]

ARTICULUS VI

Utrum lex seu religio mosaica fuerit abrogata?

[*Resp. affirmative.*]

Prob. 1° Judæorum præsentis statu. Nam illud fœdus

abrogatum est, cujus conditiones jam a Deo non observantur, et a Judæis, etiamsi vellent, minime observari possent. Atqui ita est. Ergo.

Prob. prima pars minoris. Fœdere quod cum populo Israelitico inierat, Deus se obstrinxerat ad illam gentem tuendam, illamque speciali providentia regendam, leges ei dando, ei ministros constituendo, bonis temporalibus eam cumulando: ea conditione, ut populus legem fideliter exsequeretur, vel violatæ legis eum pœniteret, *Deuter., xxviii et xxx.* Porro, a decem et octo sæculis et amplius plane res hujus populi Deus deseruit; nec unquam renovavit miracula quibus eorum corda ad se olim solebat convertere; ne unum quidem prophetam ad eos misit; secundum Danielis prophetiam supra relatam, urbis et templi eversionem, cultus antiqui abolitionem, universæ gentis excidium permisit, nec ullo solatio Judæorum animos recreavit, nullamque restorationis spem eis reliquit. Et tamen non visi sunt Judæi se idololatriæ dedisse, sed unius Dei dogma retinent, quem pro viribus adorant; legis mosaicæ præcepta oblivioni non tradiderunt, quin etiam ejus minutissimas observantias custodiunt.

Imo, nedum Deus fœderis in monte Sinai cum Israelitico populo initi conditiones deseruerit, in Judæos potius, tamquam in perduelles, a nongentis prope supra mille annis animadvertit, ac multipliciter significavit exosum sibi esse eorum genus et ingrata munera; ignobilem vitam agunt, patria terra expulsi, sine principe, sine sede fixa, omnibus gentibus in opprobrium facti. In quorum probationem quedam indignationis divinæ signa opportune in memoria sunt revocanda. 1° Dum adhuc staret templum Hierosolymitanum, quadraginta circiter annis antequam everteretur, in eo visa esse spectra, resque prodigiosas evenisse referunt ipsi Judæorum doctores, auditamque vocem a sacerdotibus in festo Pentecostes narrant Josephus et Tacitus, in Sancto sanctorum personantem et clare clamantem: *Exeamus, exeamus.* — 2° Non est omitendum factum illud mirabile a Josepho narratum, quemdam scilicet hominem, Jesu nomine, civitatem tribus annis

circumeuntem, ejulando : *Vae Jerosolymis! vae, vae civitati!* qui demum exclamavit : *Vae etiam mihi!* et statim lapide ab hostibus misso percussus, expiravit. — 3° Quis nescit quam luctuosa fuerit sors Judæorum per Jerosolymarum obsidionem, in qua undecies centena millia periere, et rursus sub Adriano imperatore Romano sexcenta millia occisi sunt? — 4° Argumentum illustrius divinæ in istam gentem indignationis præbet eventus ille quem temporibus Juliani Apostatæ contigisse referunt omnes historici christiani et ethnici, quibus Judæi ipsi consentiunt, nempe cum Julianus, ut divina oracula mendacia esse facto patenti demonstraret, templum Judæorum instaurare decrevisset, flammam immensam e fundamentis erupisse, operaque incepta et simul operarios consumpsisse.

Ex his, pluribus aliis prætermisissis, diserte ostenditur, conditiones antiqui fœderis cum populo Israelitico initi jam a Deo non observari.

Prob. secunda pars minoris. Judæi, etiamsi vellent, hoc fœdus observare non possent. Etenim, ex lege mosaica, sacrificia Deo offerri non licebat, nisi primum in tabernaculo, postea vero in templo Hierosolymitano, a sacerdotibus e domo Aaronica assumptis, reliqua tribu Levi ministerio sacro mancipata; quod tribuum ac familiarum distinctionem supponit. Ter in anno Judæi Jerosolymam adire tenebantur, ut festa Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum in templo celebrarent. Præterea Israelitica gens populus Dei dici non potuit, nisi cum, politice constituta, terram Chanaan possidebat ut suam. Atqui, ex quo urbs Jerosolyma capta est et subversa, dirutum est templum, oblita est tribuum distinctio, sacerdotium Aaronicum evanuit, Judæi ubique terrarum exsules præcepta cæremonialia secundum legem exsequi non valent. Ergo fœdus antiquum ab ipsis jam observari nequit.

Objicietur forsan, Judæos in pari conditione fuisse tempore captivitatis Babylonicæ, quin fœdus istud fuerit abolitum.

Resp. nullam paritatem inter utramque conditionem statui posse. 1° Captivitas Babylonica prædicta fuerat,

non ut eversio politicæ constitutionis Judaici populi, sed ut punitio, cujus duratio ad septuaginta annos a Deo limitata fuerat, quibus peractis, gens ista in pristinum statum redintegranda erat. 2° In Babylone Judæi judices proprios habebant, qui eis jus secundum legem mosaicam dicebant, et Jerosolymis magna pars populi remanserat, quæ hanc civitatem ut suam possidebat. 2° Tempore captivitatis, prophetæ Judæis animos addebant, Jeremias eis liberationem post tempus statutum promittebat, et templi restorationem, xxx, 18, et antea Isaias futurum liberatorem Cyrum nomine proprio designaverat. Judæorum vero præsens status nullam spem eis relinquit, quin potius est *statuta desolatio* a Daniele prædicta, ix, 26. Ubique dispersi, ubique extranei sunt, sine patria, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificio, sine lege, antiquarum promissionem testes, sed earum exsortes, quibus tamen utitur Deus ad earum impletionem demonstrandam, ut animadvertit Augustinus, lib. III *contra duas epist. Pelagian*, c. 4, n. 9: « Qui Judæi, secundum prophetias quas legunt, per omnes sunt terras ubique dispersi, ut ex eorum quoque codicibus christianæ non desit testimonium veritati. »

Prob. 2° ex adventu Messiae promissi, quem revera advenisse probabitur in tract. *de Incarnatione*, dissert. I, art. 2 et 3.]

DE ECCLESIA

Pars posterior

DE ECCLESIA A CHRISTO INSTITUTA

ARTICULUS I

Quid sit Ecclesia, et qui sint in ea?

Dico 1°: Ecclesia Christi generaliter sumpta, secundum omnem statum, locum et tempus, est « Congregatio fide-

lium in vero Dei cultu adunatorum, *sub* Christo capite. » Et sic comprehendit fideles veteris Testamenti, non solum eos qui pertinebant ad Synagogam, scilicet Judæos, sed etiam alios fideles extra Synagogam, quales erant Job, Melchisedech, etc. Item comprehendit beatos, etiam angelos in cælo, animas patientes in Purgatorio, et fideles viatores. In beatis dicitur Ecclesia triumphans; in animabus Purgatorii, Ecclesia patiens; in viatoribus, Ecclesia militans: non quod sint diversæ Ecclesiæ, sed diversæ partes seu diversi status ejusdem Ecclesiæ.

Nec obstat quod tempore veteris Testamenti Christus nondum venerat; fideles enim veteris Testamenti credebant Christum venturum, et intuitu ejus meritorum futurorum salutem consecuti sunt. Et ideo Christus erat illorum caput.

Dico 2^o: Ecclesia Christi militans, est « societas fidelium baptizatorum, ejusdem fidei professione, eorundem sacramentorum participatione, eodem cultu inter se adunatorum, sub uno capite Christo in cælis, et sub ejus in terris Vicario summo Pontifice. » Hæc definitio communiter recipitur.

Dico 3^o: Nec omnes nec soli prædestinati sunt in Ecclesia.

Prima pars *patet*. Non enim Paulus, dum Ecclesiam persequabatur, erat in Ecclesia, et tamen erat prædestinatus. Idem dic de pluribus Judæis et ethnicis.

Prob. secunda pars. 1^o Joannes Baptista, *Matth.*, III, 12, comparat Ecclesiam aræ in qua sunt triticum et paleæ igne inexstinguibili comburendæ. *Ibidem* XII, 47, Christus eam comparat sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, in qua non solum boni continentur, sed etiam mali ejiciendi; *ibidem*, XXII, 2 seqq., convivio nuptiali, in quod intrant qui non habent vestem nuptialem, et ideo mittendi in tenebras exteriores. Apostolus, II *Tim.*, II, 20 et 21, comparat eam magnæ domui in qua sunt vasa, alia ad honorem, alia in contumeliam. Atqui certum est prædestinatos non esse comburendos igne inexstinguibili, non esse ejiciendos, non mittendos in

tenebras exteriores, nec esse vasa in contumeliam. Ergo non soli prædestinati sunt in Ecclesia.

2^o Hi omnes sunt in Ecclesia, qui illam per sacramentum fidei, hoc est Baptismum, sunt ingressi. Atqui non soli prædestinati sunt baptizati. Ergo.

3^o Cum prædestinatio nemini sit cognita, si Ecclesia solis prædestinatis constaret, Ecclesia foret invisibilis, cujus oppositum infra probabimus; neque pastores agnoscere possent suas oves, neque oves suum pastorem.

Dico 4^o: Non soli justis, sed peccatores, etiam manifesti, sunt in Ecclesia.

Prob. 1^o ex tribus comparationibus aræ, sagenæ et convivii, de quibus conclusione præcedenti. Pariter enim probant de peccatoribus.

2^o Christus, *Matth.*, XVIII, 17, præcipit ut peccator privatim correptus et non emendatus denuntietur Ecclesiæ, quam si non audierit, ab ea ejiciatur. Ergo supponit peccatores in Ecclesia. I *Cor.*, V, 1, in Ecclesia Corinthiorum invenitur incestuosus.

3^o Christus instituit in Ecclesia sacramentum Pœnitentiæ, quo peccatores resurgerent et sanarentur. Ergo supponit esse in Ecclesia peccatores; alioquin frustra esset istud sacramentum.

4^o Ecclesia est societas fidelium baptizatorum in eadem fide, sub eodem capite ordinata. Atqui peccatores qui nec sunt hæretici, nec schismatici, nec excommunicati, sunt fideles baptizati in eadem fide, sub eodem capite ordinati. Ergo.

Eandem doctrinam tradunt SS. Patres. Chrysostomus, in *Psal.*, XXXIX; Hieron., *contra Luiseer.*, c. 8; Aug., in pluribus locis, expresse *Tract. VI in Joann.*, n. 12, ubi dicit: « Nos fatemur in Ecclesia et bonos et malos esse, sed tamquam grana et paleam. »

Dices 1^o: Multi Patres, Cyprian., *Epist. ad Magnum.*; Hieron., *ad Ephes.*, 5; Aug., lib. I *contra Petilian.*, cap. ultimo, et alibi, dicunt malos non esse membra Ecclesiæ, nec ad Ecclesiam pertinere. Ergo.

Resp. laudatos Patres vel loqui de perfectis membris Ecclesiæ, quæ vivunt vita perfecta per charitatem; vel malorum nomine intelligere infideles; vel sumere Ecclesiam restricto sensu, prout est congregatio nobiliorum membrorum, seu solorum justorum.

Dices 2^o: Peccatores pertinent ad civitatem Babylonicam, juxta Aug. Ergo non ad mysticam Jerusalem, scilicet Ecclesiam.

Resp. Dist. conseq. Ergo non ad mysticam Jerusalem, sub eadem ratione, *conc.*; sub diversa ratione, *nego.* Pertinent ad civitatem Babylonicam ratione peccati, ad Ecclesiam ratione fidei.

Hinc inferes, rite damnatas esse in Quesnello propositiones 72, 73, 74, 75, 76, 77 et 78¹. Quibus negat fideles peccatores esse de corpore Ecclesiæ et Christum esse eorum caput.

Dico 5^o: Catechumeni non sunt re et proprie in Ecclesia.

1. Prop. 72: « Nota Ecclesiæ christianæ est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos cœli, et omnes electos et justos terræ et omnium sæculorum. » — 73: « Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gloriam futuri sæculi? » — 74: « Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra. » — 75: « Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator. » — 76: « Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi et justii omnium sæculorum illam componunt. » — 77: « Qui non ducit vitam dignam filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite. » — 78: « Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. » — Hæ propositiones damnatæ fuerunt a Clemente XI, per constit. *Unigenitus*, 8 sept. 1713.

Prob. 1^o Nullus ingreditur in Ecclesiam et fit ejus membrum, nisi per baptismum. Ergo. 2^o Omnes qui sunt in Ecclesia, capaces sunt sacramentorum Ecclesiæ. Horum autem non sunt capaces catechumeni, cum Baptismus sit janua aliorum sacramentorum, ut dicetur dum de Baptismo. Nec obstat quod Christus influat in ipsos; quamvis enim Christus influat in omnia membra Ecclesiæ, non tamen in ea sola, ut patet in excommunicatis, si eos pœniteat.

Dixi, « re et proprie; » quia, cum catechumeni postulent ingredi Ecclesiam, et jam habeant fidem et quandoque charitatem, possunt dici esse in Ecclesia proxime, inchoative et in voto, sicque salvari.

Dico 6^o: Hæretici, non solum manifesti, sed etiam occulti et interni, non sic sunt in Ecclesia, ut sint vera ejus membra.

Sic propono conclusionem, propter hæreticos occultos et internos, de quibus est potissimum difficultas, qui licet sint in Ecclesia secundum quid, id est exterius et apparenter, probabilius tamen arbitramur non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra; sicut, si lupo pelle ovina tectus reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili, ut vera ejus pars.

Prob. 1^o Ecclesia est societas fidelium. Atqui hæretici, etiam occulti, non sunt fideles. Ergo.

2^o Ecclesia est corpus habens unionem, non solum externam, sed etiam internam membrorum inter se et eum capite. Atqui hæretici, etiam occulti, nullam habent unionem internam inter se et cum capite; fides enim est primum uniens, et fundamentum cæterorum.

3^o Christus non est caput actuale hæreticorum, etiam occultorum. Ergo. — *Prob. ant.* Nihil influit vitale supernaturale in hæreticos, etiam occultos; fundamentum enim et initium vitæ supernaturalis est fides. Ergo.

Neque dicas, influere in eos characterem baptismalem; character enim baptismalis non est quid supernaturale vitale uniens in uno credito vel amato, et alias Christus

dicendus foret caput damnatorum baptizatorum, quod negat S. Thomas, 3^a p., q. 8, a. 3, o.

Neque etiam *dicas*, influere gratias actuales; quia 1^o non sunt vitales, sed dispositiones tantum ad vitam. 2^o Non sunt permanentes; vinculum autem uniens membra corporis, debet esse quid permanens. 3^o Quia alias Christus deberet etiam dici caput infidelium, in quos pariter influit gratias actuales.

Dico 7^o: Schismatici et excommunicati excommunicatione majori, non sunt in Ecclesia.

Prob. Licet utrique possint retinere fidem, imo excommunicati habere charitatem, si vere eos pœniteat, de facto tamen sunt ab Ecclesia præcisi; quia schismatici a capite et a membris voluntarie se separant, est enim schisma voluntaria scissio; excommunicati autoritate legitima ab eodem corpore separantur. Ergo neutri sunt amplius socii seu consociati; Ecclesia autem est societas.

Confirm. Ecclesia in Parasceve orat pro schismaticis, sicut pro hæreticis, ut ad Ecclesiam redeant. Et Christus, *Matth.*, xviii, 17, loquens de excommunicato, dicit: *Sit tibi tamquam ethnicus et publicanus.*

ARTICULUS II

Utrum Ecclesia sit visibilis?

[Lutherani et Calvinistæ visi sunt primitus agnoscere visibilitatem Ecclesiæ, cujus notæ essent, secundum ipsos, pura verbi Dei prædicatio et sincera sacramentorum administratio. At cum catholici peterent ab eis ut declarare vellent ubi erat hæc Ecclesia visibilis ante suam reformationem, respondere nescierunt. Assignare non poterant Ecclesiam Romanam, a qua tamquam a synagoga Satana recesserant, et aliam invenire non valuerunt, nec valent, in qua visibiliter omnia dogmata quæ ipsi tenent docerentur. Ut ergo ab hoc laqueo se extricarent, quidam finxerunt duplicem Ecclesiam, unam invisibilem prædes-

tinatorum, alteram visibilem prædestinatorum et reprobatorum. Alii dixerunt Ecclesiam, etsi visibilem, tunc pene extinctam fuisse, ita ut non videretur amplius.

Quæstio est de visibilitate præsentis Ecclesiæ per oculos corporeos, cum iudicio et certa persuasionem quod sit Ecclesia Christi: alioquin foret visibilis materialiter, et non formaliter sub ratione Ecclesiæ.]

Dico: Ecclesia est perpetuo visibilis.

Prob. 1^o ex Scriptura. *Matth.*, v, 14, dicitur: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* De quo textu Aug., lib. II *contra Crescon.*, c. 36, n. 43, ait: « Exstat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas quæ abscondi non potest, supra montem constituta. » Item parabolæ aræ, agri, sagenæ, quibus Christus Ecclesiam expressit, aperte significant eam esse visibilem.

Act., xx, 28, episcopi dicuntur positi ut regant Ecclesiam Dei. Paulus *ad Galat.*, 1, 13, fatetur se persecutum fuisse Ecclesiam Dei. *Act.*, viii, 1, legitur suscitatum fuisse persecutionem contra Ecclesiam. Non poterant autem regere et persequi Ecclesiam nisi visibilem. Et *Matth.*, xviii, 17, frater incorrigibilis denunciandus est Ecclesiæ, quam si non audierit, habendus est ut ethnicus et publicanus. Quomodo autem potest denunciari Ecclesiæ et audire Ecclesiam, si Ecclesia sit invisibilis?

Prob. 2^o momentis theologis: 1^o Omnes tenentur accedere ad Ecclesiam, extra quam non est salus, ut fatentur ipsi hæretici. Atqui id impossibile foret, si Ecclesia sit invisibilis. 2^o Ecclesia est societas hominum, hi autem sunt visibiles. 3^o In Ecclesia fit exterior professio fidei, administrantur sacramenta, prædicatur verbum Dei, exercetur jurisdictio per superiores in inferiores, congregantur concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges. Hæc autem omnia sunt visibilia. Ergo.

Pro solutione *objectionum*, nota duo in Ecclesia attendi posse: unum interius, quod quidam vocant animam Ecclesiæ, et est fides qua membra Ecclesiæ inter se et

cum capite interius colligantur; aliud exterius, quod vocant corpus Ecclesiæ, scilicet societas exterior eorum qui publica ejusdem fidei professione, eorundem sacramentorum et pastorum communione conjunguntur. Licet autem id quod est interius sit in se invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis per suum exterius: sicut, licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facie dicitur visibilis.

[Petes utrum visibilitas competat sectis hæreticorum.

Resp. non competere eo gradu quo competit Ecclesiæ Christi, quia non sunt toti orbi conspicuæ, sicut Ecclesia Christi. Neque semper fuerunt visibiles; ante Lutherum enim et Calvinum, ubi videbantur? Neque insigniora conspiciuntur in eis, sicut in vera Ecclesia, perpetua scilicet et imperturbata successio suorum Pontificum, congregatio conciliorum, ejectio hæreticorum, etc.]

ARTICULUS III

De notis veræ Ecclesiæ.

[Notæ alicujus rei debent esse illi propriæ, et non communes; alias non magis illam rem designarunt, quam aliam: non quod singulæ seorsim debeant esse illi propriæ, sed saltem omnes collectivæ. Item debent esse notiores re quam demonstrant.]

Contra ethnicos, qui non admittunt Scripturas, probamus veritatem Religionis et Ecclesiæ nostræ per motiva credibilitatis, de quibus antea. Contra hæreticos vero, qui admittunt Scripturas, probamus illam per notas veræ Ecclesiæ in Scripturis expressas: non quod istæ notæ reddant veram Ecclesiam in se evidentem, sed evidenter credibilem.

§ I

An sint et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ?

Dico: Quatuor sunt notæ veræ Ecclesiæ, scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica et Apostolica. Ita Symbolum Constantinopolitanum.

Vera Ecclesia est una.

[Ecclesiam esse unam, non intelligitur eo sensu, quod sit unica. Verum est quidem Christum unicam Ecclesiam instituisse, sed hæc *unicitas*, si hanc vocem usurpare liceat, non invocatur ut nota veræ Ecclesiæ. In quo vero consistat unitas Ecclesiæ Christi, infra declaratur.]

Prob. Apost., I Cor., xii, 12 et 13, dicit: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tantum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

[Hanc unitatem late probat Cyprianus, lib. *de Unitate Ecclesiæ*, et epist. 76, et Augustinus in suis scriptis contra Donatistas, et alibi.]

Dicitur autem Ecclesia una, 1^o unitate concordiæ seu consensionis in eundem finem ultimum et in eadem media ad illum, nempe in eandem finem præsertim, eadem sacramenta, eundem cultum et eadem præcepta ad salutem necessaria: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*, Ephes., iv, 5. 2^o Unitate ordinis seu dispositionis ordinatæ plurium sub eodem regimine unius capitlis: *Unum ovile, unus Pastor*, Joann., x, 16.

[Dices: Apostolus, Rom., xvi, 16, scribit: *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*. Ergo.

Resp. esse plures ecclesias particulares, quæ sunt partes

unius universalis, sub uno regimine communi adunatæ; sicut plures provinciæ sunt partes unius regni.]

Vera Ecclesia est sancta.

Prob. Cant., vi, dicitur *decora, columba, pulchra ut luna, electa ut sol*; *I Petr.*, ii, 9, *genus electum, gens sancta*; *Ephes.*, v, 25 et 26: *Pro ea se tradidit Christus, ut illam sanctificaret.*

Est autem sancta: 1° ratione capitis et sponsi, qui est Christus, Sanctus sanctorum et fons totius sanctitatis; 2° ratione finis, scilicet cultus divini, cui per Baptismum consecratur; 3° ratione aliorum sacramentorum, officiorum, cæremoniarum, legum, quæ omnia spirant sanctitatem; 4° ratione doctrinæ, quæ ducit ad sanctitatem acquirendam vel augendam.

[Nota sanctitatem Ecclesiæ non implicare quod singula ejus membra sanctitatem actu habeant, cum in ea, ut jam dictum est, inveniantur boni et mali; sed tantum quod Ecclesia sit sancta ex multiplici ratione hic assignata.]

Vera Ecclesia est catholica, seu universalis.

[*Catholicum* a græco *κατά*, secundum, et *ἅλον*, totum, venit, et significat *universale*. Vera Ecclesia dicitur *catholica*, quia est universalis sub quadruplici ratione quæ mox declarabitur, sed præcipue ratione locorum, juxta illud Augustini, *Epist.* 52^a, n. 5: « Ipsa est Ecclesia catholica; unde *καθολική* græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. » Hinc Optatus sic urget Parmenianum, lib. II *cont. Parmen.*: « Ubi ergo proprietates catholici nominis? cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa. »]

Dicitur autem *catholica*: 1° ratione loci, quia per totum

orbem diffusa est, *Marc.*, xvi, 15: *Euntes in mundum universum*; 2° ratione personarum, quia ad se vocat et complectitur, non quidem omnes et singulas personas, sed cujusvis nationis et conditionis personas, *ibid.*: *Prædicare Evangelium omni creaturæ*; 3° ratione durationis, *Matth.*, ult., 20: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; 4° ratione doctrinæ, quia docet quæcumque sunt vel credenda, vel facienda, vel vitanda.

Circa universalitatem loci, observandum est posse dupliciter accipi, vel pro diffusionem simultaneam et permanentem per totum orbem, vel pro diffusionem successivam tantum. Si primo modo sumatur, intelligenda est universalitas, non in rigore metaphysico, sed moraliter pro diffusionem in plures et præcipuas partes orbis, ita ut Ecclesia sit magis diffusa quam quælibet alia secta: quo sensu *Daniel* n, 38 et vii, 9 et 10, dicitur quod Nabuchodonosor occupaverit omnia regna mundi. et quod Alexander imperavit universæ terræ; non quod hi reges revera imperaverint toti orbi, sed pluribus et præcipuis provinciis. Si secundo modo sumatur, intelligenda est universalitas rigorose, ita quod Ecclesia nunc in plures et præcipuas partes diffusa, paulatim et successive diffundetur in alias partes, donec tandem ubique recipiatur, juxta illud *Coloss.*, 1, 6: *Evangelium in universo mundo est, et fructificat et crescit*. Ubi, juxta Aug., *Epist.* 199^a, præsens ponitur pro futuro, propter certitudinem effectus, uti frequens est in Scripturis; constat enim tunc temporis Ecclesiam non fuisse ubique diffusam.

Vera Ecclesia et apostolica.

Ratione scilicet originis et successionis non interruptæ; quia fundata a Christo, qui dicitur *Apostolus confessionis nostræ*. *Hebr.*, iii, 1, et ab Apostolis propagata et firmata, atque ab eis derivata, usque nunc perseverat. Unde *Ephes.*, ii, 20, fideles dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum*.

[Duplex est ergo fundamentum Ecclesiæ. Præmarium est Christus, ex Apostolo, I Cor., iii, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Secundarium constituunt Apostoli collective sumpti, ut constat ex textu Pauli supra citato, et ex his verbis, Apoc., xxi, 14 : *Murus civitatis habens fundamenta duodecim. et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Hanc autem notam dignoscendi veram Ecclesiam passim urgent Patres. Tertullianus, *de Præscript.*, cap. 32 : « Si quæ, inquit, Ecclesiæ audent interserere se ætati apostolicæ, quia sub Apostolis fuerant, possumus dicere : Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem vel antecessorem. » Hieron., *contra Lucifer.*, cap. ult., dicit, « in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hunc durat. »]

§ I I

Cui Ecclesiæ hæ quatuor notæ convenient ?

Dico : Hæ quatuor Ecclesiæ notæ soli Romanæ Ecclesiæ convenient, non sectis hæreticorum.

Prob 1º. Ecclesia Romana est Una unitate consensionis in ultimum finem et in eadem media, scilicet eandem fidem, eadem sacramenta, eundem cultum, etc. Item est una unitate ordinis seu ordinatæ dispositionis omnium Catholicorum sub eodem regimine unius capitis, Romani Pontificis. Hæc per se patent.

Sectæ autem hæreticorum non habent unitatem consensionis in una fide : quod patet tum ex eorum variationibus et oppositionibus circa præcipua dogmata, ut circa Eucharistiam ; tum quia pro regula fidei sequuntur privatum spiritum, sicque tot sunt inter eos opiniones fidei, quot sunt capita. Non habent etiam unitatem ordinatæ

dispositionis sub uno capite ; tot sunt enim inter eos capita, quot ministri, quippe qui alicui uni non subordinantur, suntque sine missione et jurisdictione, ut mox dicam.

2º Ecclesia Romana est Sancta ratione sui capitis Christi, aliorum suorum fundatorum, Apostolorum scilicet et eorum successorum, SS. Patrum, qui illam adversus hæreses defenderunt, et suorum martyrum, qui suo sanguine illam sigillarunt. Est sancta ratione finis, scilicet cultus divini, cui tota consecratur ; ratione sacramentorum, legum, officiorum, sacrificiorum, cæremoniarum, quæ omnia sanctitatem spirant. Est sancta ratione doctrinæ, quæ non nisi quod in Scripturis aut traditione continetur proponit credendum, non nisi virtutem præcipit, non nisi vitia prohibet.

Sectæ autem hæreticorum non habent sanctitatem. 1º Non habent ex parte suorum authorum. Notum quippe est Lutherum, Calvinum, Zwinglium, etc., non fuisse sanctos, sed pluribus vitiis obnoxios. 2º Non habent ex parte doctrinæ. Deum quippe faciunt authorem peccati, imo dicunt ipsum ad peccandum cogere et impossibilia præcipere. Item docent, solam fidem justificare, nullumque peccatum quantumvis grave, etiamsi adulterium, homicidium, sodomiam, habentibus fidem imputari, et ideo quantumvis scelestum, modo credat se esse a Deo electum, nunquam gratiam amittere. Ita Lutherus, *de Captiv. Babyl.*, c. de Baptismo, et Calvinus, lib. III *Institut.*, c. 19 : quæ sola duo principia viam aperiunt omnibus vitiis, ocludunt virtutibus. Insuper notum est eos cælibatum sacerdotum et vota monastica damnare, claustra et templa diruere, bona monasteriorum invadere, imagines frangere, invocationem sanctorum, satisfactiones et bona opera, jejunia, abstinentias, et quidquid sapit mortificationem rejicere.

3º Ecclesia Romana est Catholica ratione loci et conditionis personarum. Si loquamur de catholicitate permanenti et simultanea, quæ, ut observavimus, debet intelligi moraliter pro diffusione in plures et præcipuas orbis par-